res adeo luculentas detorquent, aniles nugas? Cum igitur divina oracula mundum vocent propria Domini, propter omnes qui in ipso sunt, sive receperint eum, seu non receperint: Nam hi quidem, qui receperunt, postquam antea, tanquam creaturae, ipsius propria essent, etiam filii facti sunt, cum ei se adjunxerint, qui ipsorum salutis causa advenerat; qui vero non receperunt, uti antea, tanquam creatura, ejus propria erant ipsius, nunc tamen cum non receperint, secunda et spirituali adoptione exciderunt. Cum, inquam, divina scripta ipsa has voces ita interpretentur, quid non aversandi sunt, qui ab hac sententia haeretici iisdem affingunt? Quod autem mundum haec vocet propria, ex his quoque luculenter cognoscitur, quod dicit: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum. Ecquem mundum? Sensibilem utique. Ecquando autem illuminavit? quando in illum advenit. Quando vero id factum sit, Evangelium clamat: In mundo enim erat, ait, nempe in sensibili mundo existens hunc, sensibilem mundum autem omnem illuminavit. Deinde, cujus opus fuerit hic mundus, in quo ipse erat, et in eum venientem illuminavit, aliunde discere nemo potest, quam ex evangelii verbis: Mundus, inquit, per ipsum factus est, et mundus ipsum non cognovit. Quod sane idem est cum antecedentibus: In propria venit, et qui propria ipsius erant eum non receperunt. Vides, quam constans sibi ipsi testimonium ubique perhibeat veritas, et quomodo lumen ejus magis magisque effulgeat quaerentibus.